



16

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
INAUGURALIS
DE
CONGELATIONE,

QUAM,
FAVENTE SUMMO NUMINE,

Ex Autoritate RECTORIS MAGNIFICI,

B A V I I V O O R D A,
J. U. D. JURIS CIVILIS ET HODIERNI
PROFESSORIS ORDINARII.

N E C N O N

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,
& Nobilissimae FACULTATIS PHILOSOPHICAE Decreto,*

**P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,
E T M A G I S T E R I I ,**

Summisque in PHILOSOPHIA & ARTIBUS LIBERALIBUS
Honoribus & Privilegiis, rite ac legitime consequendis,

Placido Eruditorum examini submittit

H E N R I C U S A E N E A E ,
F R I S I U S .

Ad diem VI. Octobris MDCCCLXIX. H. L. Q. S.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud PETRUM HENRICUM JACQUEAU , 1769.

239 161
D4



DISSE^TRAT^IO PHILOSOPHICA
INAUGURALIS
DE
CONGELATIONE.



uo magis felicissimo nostro seculo ,
veterum pulsa barbarie , fugatis-
que praeiudiciis , in litteris huma-
nioribus , liberalibusque artibus
proficitur , quo latius & benignius
ad omnia , quae ad veram hominis
felicitatem promovendam faciunt ,
eruenda , ediscenda sternitur iter , quo majore de-
nique & clariore luce omnes perfunduntur scien-
tiae , eo plures sese continuo maioresque difficulta-
tes , & ambiguitates obferunt , eo luculentius scili-
cet vel acutissimorum mortalium facultates ab omni

A

parte

2 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

parte finitas & limitatas esse deprehenditur , sed eo clarus quoque ab altera parte Summi Creatoris & Gubernatoris sapientia , prudentia , ac bonitas effulget , atque adorabile decus nanciscitur.

Hoc autem p[re]ceteris vel maxime experuntur Philosophi , qui non tantum in reddendis phaenomenorum rariorum & abstrusiorum rationibus saepius ignorantiam suam profiteri coguntur , sed qui non raro in vulgaribus admodum , & passim obviis certiorum & indubitatorum loco probabilioribus conjecturis contenti esse debent . Quid enim , ut pauca tantum adferam , certius aut experientia magis confirmatum , quam omnia , quotquot novimus , corpora vi quadam , quae Gravitatis dicitur , in se invicem agere , & terrestria quidem in terram , adeo ut libere sibi commissa ad solum illico perpendiculariter ruant , vel si sustentata aut suspensa fuerint , in eadem tamen recta premant , trahantve ? Quis vero unquam vulgatissimi hujus phaenomeni solidam rationem reddidit ? Quid hodie magis exploratum , quam inter omnia animalia unumquodque suum proprium genus procreare ? sed quis hactenus genuinum hujus procreationis modum funditus explicare valuit ? Si ad magneticam vim adtendimus , vel ad Electricitatem advertimus animum , nemo non stupendos in iis nuperrime factos progressus admirabitur , sed caussae quaenam sunt ? Quid tandem in

INAUGURALIS. 3

in Belgio nostro frequentius aut communius est , quam singula fere brumali tempestate fluidorum omnium pene liquidissimam aquam in asperam & rigidam glaciem converti ? causa tamen frequentissimi hujus phaenomeni inter Physicos hactenus vocatur in dubium.

De hac autem materia cum pro viribus nostris breviter differere instituerimus , hic subsistamus oportet , ut phaenomenon hocce adtentione nostra satis sane dignum paullo penitus introspiciamus & exploremus. Hunc in fine in itaque primo rem ipsam , de qua lis est , distincte proponemus ; dein vero diversas , quae circa hanc rem foventur , opiniones , recensebimus , variasque rationes pro una alteraque sententia militantes examinabimus ; quidque nobis in singulis maxime videtur proprium paucis adjiciemus & exponemus.

Ut autem rem ordine adgrediamur , videamus primo de aqua , ejusdemque proprietatibus quatenus hoc loco ad scopum nostrum pertinent.

Quid per aquam intelligimus nemini ignotum esse potest ; quaenam vero peculiares ejusdem proprietates sint , obiter adnotasse non erit inutile ; aqua enim fluidum illud omnium notissimum , liquidum , humidum , sordibus abluendis peculiariter habile , flammarum extingueens , licet limpidum sit & perlucidum , coloris saporisque expers , nunquam tamen in

4 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

statu suo naturali homogeneum reperitur , sed majori semper minorive terrae copia , nec non aëre atque igne mixtum ; quae quidem heterogenea , pro diversa quantitate vel qualitate diversos quoque effectus in aqua producere posse facile concipitur.

Aer scilicet in aqua contentus naturaliter sua gaudet elasticitate , quam in variis etiam circumstantiis exerit , uti manifestissime liquet , si ope antiae pneumaticae ambiens & incumbens aer aufertur ; sed hac de re amplius in sequentibus erit agendum.

Ignis autem absque omni dubio , nisi solus eam largiatur , multum saltem ad aquæ fluiditatem confert : experientia enim magistra addiscimus aquam suam fluiditatem amittere & in glaciem converti , simulac ignis aufertur , vel extra modum diminuitur : suppeditato vero igne nunquam coire.

Jam igitur quaedam hujus congelationis phaenomena proferamus in medium. Hyeme nempe in nostris , frigidioribusque regionibus , aqua quasi crystallizatur , sive in glaciem , durum atque admodum elasticum corpus , convertitur ; phaenomena autem hujus congelationis pro citiore lentioreve glaciei formatione aliisque permultis circumstantiis valde diversa sunt. Verum Cel. Muschenbroekius , qui multa hac in re experimenta instituit , semper observavit , ut & ego me saepius quoque observasse memini , quod

INAUGURALIS.

quod si aquae alicujus in vasculo contentae lenta fiat congelatio, crystallizationem illam a circumferentia vasis orbiculariter incipere, & ab hac medium versus tenuissima quaedam filamenta emitti quae cum infinita fere angulorum varietate diversissime ad latera vasis inclinantur, & nonnunquam parallelo inter se decursu foliorum nervos aemulari videntur, quae tamen folia situ valde vario inter se conspicuntur posita. Miram vero harum figurarum e vario fibrarum glacialium decursu ortarum diversitatem omnium optime videre licet hyeme ab interiore parte camerae in fenestris vitreis, vaporum in aere natantium configurationibus obductis, ubi nullae similes figure, ne quidem in vitris sibi proximis reperiuntur, aliis nimirum arbores, aliis ramos, aliis flores, aliis iterum alias res repraesentantibus, nulla prorsus, ut in plerorumque salium crystallizatione, constanti quadam partium adtractione conspicua. Jam primis hisce, de quibus diximus, filamentis formati, oriuntur alia quae sub omnimoda directione ad imum descendunt, & sensim latitudinem, vix autem crassitatem adquirunt, ita ut tandem in membranas tenuissimas sive pelliculas abeant, quae respectu superficie diversissimo situ jacent. Harum pellicularum dein aliae sibi inponuntur, aliae sibi invicem sub infinitis angulorum inclinationibus junguntur, adeo ut nonnunquam aquae massam interci-

DISSE^TRATI^O PHILOSOPHICA

pianus usque dum denique omnes in glaciei crustam aquae superficie inpositam concrescant, quae de superiore parte, haud secus ac in salium crystallizatione obtinet, aspera est & inaequalis. Si autem aqua saeviente gelu vehementiore frigore subito corripitur, omnia haec tam successive observare non licet, sed primum in superficie tenuis lamella glacialis conspicitur, quae a pariete medium versus obliquo ad superficiem situ procurrit, mox & ad alias partem partis aliae oriuntur similes lamellae, quae omnes triangularibus suis cuspidibus versus medium inordinatae procurrunt, atque areas intercipientes crustam glaciei constituunt.

Crusta eiusmodi glacialis perlucida est, & homogenea, saltem quoad oculo inarmato videre licet, usque dum duas tresve lineas crassa evaserit, postea vero, quam ad maiorem crassitatem increvit, minus pellucet, & aliquando priorsus opaca redditur: tum enim aer, ut optime sane explicuit Cel. Musschenbroekius, cuius verba haec sunt, & fluida elastica a coeuntibus aquae partibus expulsa procedunt, continuo congregantur, & formant exiguae bullas, per totam glaciem dispersas, capiti aciculae aequales, quales saepe durante conglaciationis decursu perstant; nonnunquam breves subtileisque canaliculos fingunt, pro varia glaciei formatione: deinde augentur aereae bullae coeuntibus pluribus & ma-

culis

seri-

ioribus, adeo ut diu perstante saevo gelu interdum sphaerae diametri dimidii, imo & integri pollicis in magnis lacubus evadant: bullae aereae plerumque sunt maiores versus centrum & axin vasis, quam prope parietes: suepe adhaerent, aut incipiunt a parietibus formantes canaliculos aut eorum species, sed hi plerumque prope fundum vasis spectantur (a). Ratio nimirum in promptu est, quo proprius enim particulae aqueae ad se invicem accedunt, quo magis aer inter illas latitans expelli debet, & cum aer ab omni latere in medium praecipue propellitur, congelatione scilicet a lateribus vel parietibus vasis maxime incipiente, hinc quoque in medio naturaliter maiores bullae conspici debent; quo vero maior adest aeris copia, sive quo plures particulae congregari possunt, ut in magnis lacubus, eo fane maiores quoque bullulae formari debebunt. Sin autem citissima aquae constrictione, exiguae illae bullulae aereae congregari statim non potuerint, sed dispersae fuerint, & segregatae, necesse est ut illae, gelu continuo crescente, novos sibi transitus aperiant, atque ita canaliculos illos relinquant eo, quo glaciei particulae minus inter se cohaerent; dum vero aqua ad fundum vasis citius constringitur quam in medio, hinc quoque mirum

non

(a) Introd. ad Phil. Nat. §. 1491.

non est eiusmodi canaliculos plerumque ad fundum spectari. Lumine denique per refractionem saepius iterataim valde decrescente, ut ex opticis certum est, sequitur quoque glaciem eo magis opacam fore, quo magis est interstitiis, ut bullulis hisce aereis interrupta, sive quo saepius radius lumen per glaciem transiens, a medio rariore in densius, & rursus a densiore in rarius refringi debet.

Ex aqua, pergit Musschenbroekius, lente conglaciante pedentim quidem bullae aëreae expelluntur, verum expulsæ sursum enatant, ex superficie aquae exeunt; modo in superficie non offendant crustam conglaciatam, quae exitui obicit: crusta superiori formata aëri exitus est negatus: si tum celerioris congelatio perget, aer copiosus hinc inde colligitur, bullas ampliores formaturus. In glaciei superficie nonnunquam perstat foraminulum, per quod aqua ab elasticitate aërearum bullarum pressa erumpit, foramine hoc clauso, ab aere intercepto & se expandente finditur glacies cum crepitu, qui perforata glacie non auditur observante Mariotto, quia ex foramine aqua simul cum aere expellitur, in medio glaciei monticulus formatur: imo aliquando ab aere, sub media glaciei crusta concluso, magna pars glaciei elevata superficiem induit gibbosam. Haec quoque ita fieri debere ex praecedentibus faciliter negotio concluditur; simulac enim aëris particulae ex late-

latebris suis protrusae , & in bullulas congregatae fuerint , ex regulis hydrostaticis enatare & aquae superficie exire debent ; si vero exitus fuerit negatus , statim quoque intelligitur non raro maximas bullas ex coacervati aeris elasticitate originem ducturas ; eiusmodi vero bullae ad notabilem saepe magnitudinem increscunt , superiorem crustam glacialem elevant , & segmentum sphaerae concavae constituunt , cuius chorda nonnunquam duobus tribusve pedibus aequatur ; aer autem inter aquae superficiem , & lamellam illam glacialem contentus absque dubio pedetentim effugit , succedente alio : frequenter enim accidit , inprimis si segmenta nimis magna non sunt , ut aquae illa superficies , quae non nisi tenui glaciei crusta tegitur , nunquam gelu corripiatur , persistente tamen frigore ; quod mihi non difficulter continuo aëris ignisque exitui tribui posse videatur ; in majoribus vero lacubus raro tale quid observatur , in fossis & canalibus saepius : ratio est quod in his aquae superficies aequabiliter in glaciem constringatur , in illis non ita . Quod adtinet autem ad minora foramina , per quae aqua simul cum aere expellitur , & ad monticulos in medio glaciei formatos , nunquam me illud in aqua fluvialeti dulci & pura observasse memini , frequentissime vero in aqua falsa , vel in aqua multis folidibus & faecibus inquinata ; ratio rursus in promtu est , quo magis enim

B

aqua

10. DISSERTATIO PHILOSOPHICA

aqua partibus heterogeneis permixta est, eo minor est in glacie partium cohaerentia, eo plures vero aeri praebentur recessus; nec non expulsio, aeris putredine & fermentatione, quaecunque fuerit, faciem similiumve maxime promovetur.

Restat adhuc, praeter alia minoris momenti, phaenomenon aliquod prae ceteris attentione nostra maxime dignum, quippe quod ad ceterorum explanationem, totiusque congelationis phaenomeni causam reddendam & explicandam, de qua jam Physici in diversas abidere sententias, multum confert. Respicio nempe ad glaciei extensionem, vel inflationem potius, sive evolutionem, qua glaciei massa in majus semper volumen evolvitur, quam illud aquae ex quo concreta fuit; quod variis non tantum experimentis evincitur, sed & tam evidens est, ut in omnium statim oculos incurrat: glacies enim aquae innat, quapropter ea leviorem esse, & in majus volumen intumuisse nemo non, nisi prorsus hydrostaticorum rudis, absque longo ratiocinio infert. Ponderus autem glaciei specificum est ad illud aquae plurumque ut 8 ad 9, vel secundum Doctorum Florentinorum observationes omnium adcuratissimas, ut 25 ad $28\frac{1}{3}$, quod ad idem fere reddit. Quo vero cum horrendo impetu glacies infletur, variis etiam experimentis, praeter alios, evicerunt Florentini Philosophi, qui cavum aureum globum aqua inpleverunt,

claus-

claueruntque, cuius circulus maximus diligenter adaequatus erat trocho metallico; postquam vero aqua in glaciem conversa fuerat, globus per trochum neutiquam traiici potuit. Aquam quoque in densissimo globo aeneo incluserunt, & exposuerunt gelu, deinde adtenuarunt globum, usque dum glaciei viribus refrænandis inpar dissiluerit, cohaerentia nihilominus partium metalli, quae superari debuit, secundum Musschenbroekii calculum 22893 libris erat aequalis (a). Glacies insuper vasa lapidea, immo metallica rumpit, arbores in frigidioribus regionibus findit. Humores ipsi in terra delitescentes, humum tam vehementer inflant, ut limina, parietes, totasque aedes elevare, rupes findere, & in altum tollere valent, multaque alia stupendae violentiae phænomena praestent.

Jam vero quaeritur, quaenam ratio sit hujus phænomeni, vel potius quaenam cauſa congelationis in genere statui debeat, ut hoc quoque phænomenon ex ea commode explicari possit, dum in hac aquae congelatione contrarium aliquod observatur, & quidem e diametro obſtitutum ei, quod in aliis, ut metallorum, adipum, resinosorumque corporum conſtrictionibus obſervare licet. Ignis enim proprietas est corpora in majus volumen inflare, unde pleraque

(a) Lib. cit. §. 1494.

12 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

que metalla, adipes, resinae, aliaque fusa, vel liquefacta atque igne repleta majus volumen occupant, quam post quam igne avolato, in solida durescunt: ignis scilicet fluidum tenuissimum & subtilissimum poros corporum inrepat, eosque replet, nec non ad interiora penetrat, singulasque particulas divellit, disjungit, separat, ideoque massam inflat, extendit: igne vero diminuto vel prorsus ablatto, particulae rursus vi sua adtractrice se invicem adliiciunt, trahunt, & in unum coire conantur, & sic in minus tandem spatium rediguntur.

Iam inquam, quaeritur num huius congelationis caussa privativa sit vel positiva; num aqua nimirum ad instar fluidorum metallorum, Mercurii aliorumque corporum a frigore tantum, vel ex solo ignis defectu densetur, durescat & volumine decrescat; vel num potius aliqua corpora subtilia, quae in aere versantur, aquae admisceantur frigidae, cumque ea effervescent, ignem expellant, & partes qualicunque modo figant. Posterior haecce sententia in nostris regionibus multum invaluit, & ne mirum quidem, quippe cuius originem, vel incrementum saltem, praecipue magno nostro Philosophiae lumini Cel. Musschenbroekio debeamus, qui variis adductus rationibus, huicce sententiae, post La Hire, qui primus in eam incidit, non parum addidit roboris & praestantiae. Has autem ratio

rationes memorare, & in eas paullulum inquirere
ab instituto nostro non erit alienum.

Aquam a solo frigore non conglaciari, sed quando particulae conglaciantes maiori copia simul concurrunt ex eo concludit Musschenbroekius, quod licet aqua nonnullis temporibus valde frigent non congelatur; tempore quodam calidore fit glacies: regelat coelo magis frigente quam cum gelabat (a). Argumentum sane validissimum, nisi in verbis quia licet aqua valde frigeat, non congelatur, vitium aliquod subreptionis lateat, vel quod haec verba minus recte explicata fuerint; maxime enim miror si unquam Cel. Musschenbroekius tale quid, quoad congelationem in genere, expertus fuerit, quod ne unicum quidem eiusmodi experimentum adtulerit; nullum enim ex experimentis ab eo captis & in eodem §. memoratis, probat aquam ipsam in statu naturali aeri expositam solito fuisse frigidorem, & in glaciem non constrictam; sed omnes citatae observationes evincunt, quod aliquando tempore quodam calidore fiat glacies: regelat coelo magis frigente, quam cum gelabat: thermometrum enim tantummodo sub dio positum fuit, dum aquis inmitti debuisset, si ad priora verba conclusio valeret; maxime tamen in hanc rem pe-

ricu-

(a) Introd. ad Phil. Nat. §. 1507.

14 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

ricula quaedam instituere cuperem, sed cum nulla detur aestivo tempore copia, in praesentiarum ratione contenti simus oportet; verum e sequenti §. fugitivo tantum oculo inspecto facile, nisi me omnia fallant, colligitur, qua in re seductus fuerit Musschenbroekius. Instituit nimirum experimenta sua in vasculis vitreis varia ratione tectis & coöpertis, & ex particularibus illis experimentis ad congelationem in genere conclusiones elicuit, quod non debuisset. Verba ejus §. cit. haec sunt: *Causa aquam conglacians non plena libertate perreptat corpora firma & fluida, sed offendit resistentiam, nec progreditur, & quamdiu fluida vasorum, quibus insunt, poros obstruunt, non inrepit, verum vasis fluidisve tantillum concussis, ut a parietibus recedant, & liberis jam meatibus introitus concedatur, causa extrinsecus adstans velocissime transit vasis parietes, aquam ingreditur, eamque congelatur vel remoto vasis, quod antea clausum erat, operculo, aquam involat, eamque cito in glaciem vertit.* Sed cur, quaeso, hae particulae conglacantes, quae liberrime alioquin solida fluidaque permanent, hasce quoque fluidi particulas, quae in vasorum poris latitant penetrare non valent? Respondebit mihi forsitan aliquis hujus sententiae fautor, materiam illam constringentem liberum quidem invenire transitum inter aquae particulas, non ve-

ro ipsas illas particulas primarias & elementales, quae exiguos vasorum poros obstruunt, penetrare. Sed quis unquam aquae particularum, pororumque corporum tenuitatem adeo perspectam habuit, ut adserere audeat non nisi elementales aquae particulas poros ingredi posset. In ligneis sane vasculis, alisque parum est probabile. Verum etiamsi haec omnia pro demonstratis haberem, nulla tamen ratione me concipere fateor, quod aquae particulae tantilla quadam concussione, immo, ut in sequentibus adnotatur, iectu malleoli, corpori tantummodo cui vas insistit, inficto, poros, quos obturarunt adeo prorsus linquunt, ut memoratis particulis statim via pateat, dum alioquin aqua vitri, metallorum, ne de aliis loquar, poris ita firmiter & tenaciter inhaeret, ut abstergendo eam tollere nequaquam valeamus, sed ignis ad eam expellendam necessario requiratur. Quod ad nos adtinet: ego potius ad solutionem phaenomenorum in hoc §. a Cel. Muschenbroekio memoratorum dixisse, & ignem & aera ab aquae particulis tam valide adtrahi, cumque illis tam arcte esse conjunctos, ut ab iis penitus quiescentibus non ita facile separari, avelli, earumque cohaerentiam superare, & aufugere queant: hoc enim experientia nititur, quippe ex aqua calida, cuius particulae continuo ignis motu agitantur, aer multo citius, quam ex frigida exhauritur: quis etiam

ne.

16 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

nescit aquam calidam in vasculo vel lagena conclusam multo citius refrigerescere , si continuo agitur , & commovetur , quam si inmota quiescit ? Aer quoque ope antliae pneumaticae citius ex aqua antliae agitatione paululum concussa educitur , quam ex tranquilla . Vasculis igitur , quibuscum Musschenbroekius experimenta sua instituit , primum clausis vel oleo opertis , dein apertis , vel eo , quo refertur , modo concussis & agitatis , postquam jam aeris ambientis frigus tribus quatuorve gradibus supra punctum congelationis increverat , facile concipitur , cur tum citissime & non antea aqua correpta fuerit ; minima namque agitatione , vel malleoli in corpus , cui vas insistit , ictu producta concussione tremulus illico in aqua motus excitatur , qui fugandis igneis , aerisque particulis repellendis sufficit . Sed licet etiam nullum ejusmodi ratiocinium instituatur , videtur tamen mihi eandem semper in tali casu probabilitatem praecise remanere pro ignis exitu , quam pro materiae conglaciantis introitu : eodem enim jure dici potest obstrukione pororum ignis exitum impediri , quam partium glacialium introitum . Quod adtinet ad vasa in quibus oleum aqua superfusum erat , & filum metallicum per illud in aqua demissum , hoc etiam quod exinde sequebatur phoenomenon e precedentibus explicatu non erit difficile , immittendo filo statim enim quantuscunque motus inter aquae par-

particulas excitatur, quo ignis solutus celerrime a fugit, & magna procul dubio copia per metallum inmissum, quod abducendo igni prae ceteris est idoneum, ut aliunde satis notum, & electricis phaenomenis convenientissimum est. Notandum vero est, quod Musschenbroekius dicit aquam jam friguisse ad gradum usque 26. Revera nullus dubito, quin mercurius, quiescente thermometro, gradum illum indicaverit; sed ex supra dictis facile liquet, quod nihil impedit, quo minus ignis ex thermometro vel mercurio avolare possit, & ab aqua retineri: unde eam semper adhibendam esse cautelam addiscimus, quod thermometrum in fluido, in quo caloris gradum rite investigare volumus, sensim sensimque moveri debat. Quod autem ignis per ejusmodi corpus inmissum aufugiat certissimum est ex alio experimento a Nob. Mairano instituto, & a Cel. Musschenbroekio hoc ipso § relato: Hic enim, Mairanus scilicet, memoriae prodidit se mercuriale thermometrum in vase aquam & oleum olivarum continenti inmissum aliquando elevasse, & tum illico lamellas glaciales fuisse natas, mox rursus thermometro in eandem aquam depresso, mercurium in eo tribus adscendisse gradibus, adeo ut aqua, dicit Musschenbroekius, quo tempore incepit converti in glaciem incaluerit, quod Micheli etiam expertus fuit. Interrogat porro; *An hoc ab effervescentiae specie inter aquam & causam*

18 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

jam conglaciantem ortae pependit? an quia dum aqua congelascebatur, ignem expulit, qui thermoscopium ingrediebatur? Prior caussa a Musschenbroekio e-jusque sectatoribus tanquam probabilior adsumitur, nos autem posteriorem minime in dubium vocamus: ignis enim elevato thermometro ex intersticiis concitatas aquae particulas celerrime avolans, & per thermoscopium praecipue per Mercurium stratam sibi viam reperiens, non nisi per illum aufugere, eumque extendere & inflare potuit.

Aliud argumentum a Musschenbroekio adductum sic sese habet: *Si gelu a frigore solo penderet, aut non potissimum in Belgio gelaret flante septentriōne, qui ex plagiis terrae frigidissimis adventat, & revera friget: verum hoc spirante vento, hyeme raro gelat, nec gelu est acre, aut diuturnum: attamen gelat spirante aquilone, subsolano, & euro, licet hi venti ex regionibus minus frigentibus adpulerint, sed quae alia corpuscula ex solo exspirata cum ventis ad nostram adferunt (a).* Sed licet etiam hoc ita secundum nostrum concipiendi modum fieri deberet, experientia tamen edocti sumus rem aliter sese habere, nam euro vel subsolano spirante gelu non tantum omnium acerrium deprehenditur, sed & frigus etiam plerumque maximum, quod ope thermo-

(a) Introd. ad Phil. Nat. §. 1509.

mometrorum observare licet. Jam vero hic nulla quaestio est de hujus rei caussa physica, in illam enim inquirere longe alia res est: sed hic unice quaestio instituitur de eo, num ad aquae congelationem certus quidam & determinatus frigoris gradus requiratur, nec ne? id est: num aqua, ubi nullae mutationem inferentes circumstantiae adsunt, tum statim & non antea, quam frigus ad certum quendam gradum increverit, in glaciem convertatur? Neutquam vero negamus eurum, subsolanum, aliosque fortasse ventos ex particulis quibusdam e solo exspiratis multum frigoris concipere, atque eo respectu particulas illas pro remota congelationis caussa haberri posse, sed de hoc non disputatur.

Quod autem ad ceteras observationes hoc § memoratas, ut e: g: nonnunquam mense Junio formari gloriam, aliasque: merito sane quaeri posset, an hujusmodi glacies mense Junio formata ad 32 gradus friguit, nec ne? Hoc equidem thermoscopio diligenter explorandum fuisset; si friguit, quod nullus dubito, quando igitur vel aqua vel glacies tam frigida evasit, vel quando ignis secessit? Respondebitur absque dubio: probabilius eo momento, quo aqua in gloriam vertebatur, nam simulac in gloriam versa fuit, ad illum frigoris gradum adtigit. Ipso insuper fatente Musschenbroekio caussam conglaciantem sibi non esse cognitam, & temeritatis fore eam de-

20 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

terminare , cur igitur illam ex oriente potius ad nos pervenire , quam ex septentrione statueremus ? Dicetur fortasse illud experientia probari : sed cur igitur eurus & subsolanus non semper ejusmodi particulas advehunt ?

Ad ceteras illas observationes , scilicet quod aliquando aere caldiore gelet , frigidore regelet (*a*) , quod nonnunquam gelu quibusdam locis saeviat , aliis inmunibus (*b*) ; quodque gelu non semper latitudinem locorum sequatur (*c*) ; non nisi ipsis Muffchenbroekii verbis respondeo , licet ab eo paullo alio sensu adhibitis . *Vicissitudines caloris & frigoris tam in coelo quam in glacie sunt continuae , quae pendent a sole diurno , a tenebris noctis , a ventis ex variis plagis spirantibus , ab anhelitibus soli (d) , & a multis aliis procul dubio circumstantiis , quae nobis semper satis cognitae non sunt.* Ad singulos fortasse causus singulae quoque dari possent rationes probabiles , sed hoc in praefentiarum instituti nostri non est ; observo tantum quod ad observationes § 1510 & 1511 . memoratas eaedem difficultates contra caussam positivam quam negativam inferri possint ; nam si ab una parte quaeratur cur frigus in locis vicinis vel

eius-

(*a*) Introd. ad Phil. Nat. §. 1507.

(*b*) §. 1510.

(*c*) §. 1511.

(*d*) §. 1501. Num. 7.

ejusdem latitudinis non aequabiliter saeviat, ab altera parte quaeri potest, cur particulae conglaciantes non aequaliter per aera distributae sint.

Aliud desumit argumentum Cel. Masschenbroeckius ex Arthriticis (*a*), & ejusmodi morborum genere correptis, qui ex magnorum dolorum sensu nivosam vel grandinosam tempestatem adnunciant; quod ab iisdem quoque particulis aeri innatantibus, & in humanum corpus varia ratione, sive extrinsecus, sive intrinsecus operantibus, pendere putat. Verum dum arthritici aestivo quoque tempore aeris mutationes, pluvias, procellosasque tempestates non raro praesagiant, quaenam hinc conclusio pro particulis ejusmodi glacialibus inferri potest? Negari autem minime debet in aere variis temporibus variisque praesertim ventis, varias quoque particulas heterogeneas versari, quod ex aliis certum videtur, & naturae rerum maxime conveniens: quid enim probabilius est, quam quod aliis ventis aliae quoque particulae ex solo, herbis, similibusque exhalatae & in aere natantes, ad nostras regiones deferantur? Res equidem admiratione nostra dignissima est, & creberimis experimentis probata, quod aquilone spirante nunquam bono cum successu speculum metallicum in pice polire liceat. Sed ex hisce tamen

mini-

(*a*) §. 1513.

22 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

miniime sequitur caussam conglaciationis in hujusmodi particulis esse quaerendam.

Porro glaciei alia admixta esse corpuscula ex eo quoque concludit Musschenbroekius, quod refusa glacies aquam praebeat tenerioribus cibis emolliendis ineptam, *nisi inquit diu ebullierit, & quaedam partes avolaverint (a)*. Sed dum res eodem quoque redit, si dicamus e glacie particulas quasdam avolasse, quae ad cibos emolliendos requiruntur, & has ebulliendo per ignem restituendas esse, hinc quoque nihil certi deduci posse liquidissime adparat; e glacie vero continuo partes avolare, res est certissima, & plurimis experimentis probata.

Quaeritur adhuc cur aqua calens ad gradum 33 ab adfuso spiritu Nitri calorem concipiat ad gradum 41 usque, dum interim in glacie rasa adfuso eodem spiritu magnum frigus concitat, *nisi in glacie aliquid fuerit quod frigus adeo intendere potest (b)*; verum quid impedit cur non eodem jure dicatur: nisi in aqua quid fuerit, quod calorem adeo intendere potest, & quod in glacie abest?

Ceterum ex incredibili crystallorum glacialium discrepantia conjicitur diversissima quoque in aere na.

(a) §. 1514.

(b) §. 1515.

natare corpora ejusmodi crystallos formantia (c). Quod in aere continuo summa diversorum corporum copia versetur, uberrime constitit, ut supra jam diximus; minime quoque negaverim haecce corpora multum fortasse ad crystallorum differentiam conducere; attamen hac ex re argumentum pro particulis conglaciantibus elicere nequaquam mihi videtur tutum: si enim ex eo capiatur argumentum, necessario concedendum erit infinita fere corpora unum eundemque effectum diversissimo modo praestare; nec non hodie has, cras iterum illas operari particulas; hoc loco haecce corpuscula, in proxime vero vicino prorsus alia conglaciationis opus peragere, quod ab omni plane probabilitatis specie alienum est.

Restat adhuc aliud argumentum, quod minimi momenti non est, & primo quidem intuitu pulcrum probabilitatis speciem praefert, penitus tamen inspectum aequa cetera suis non caret difficultatibus; desumptum est scilicet ex phaenomeno illo satis paradoxo, quod, si vas aquam continens ponatur in nive vel glacie rasa sale quodam mixta, aqua illa, tabescente sale & nive vel glacie cui inposita est, in glaciem convertitur, & quidem eo citius, quo citius sal cum nive tabescit, adeo ut

ex-

(c) §. 1516.

24 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

experimentum prope ignem instituere prosit : *Hoc fieri nequit*, dicit Cel. Musschenbroekius, *nisi ignis particulas conglaciantes ex nive in aquam vasculi pelat*: an autem, ita pergit, *ignis sub vase ignis absentiam ex nive in vasculum cum aqua propellat*? *verosimile id non est*. Quod posterius locum non habeat, facile concedo, absentiam enim alicujus rei propellere verba sunt quibus nulla notio respondet; prius autem difficulter largior. Rem ita concipientiam autumo: maximo in nivis salisque mixtura oborto frigore, ignis in aqua, quae in imposito vasculo continetur, latens & aequilibrium adfestans avolat, & aufugit, & quidem, ut fieri debet, prius ex illis aquae particulis, quae fundo & parietibus proxime adiacent, unde & necesse est glacies quoque a fundo parietibusque formari incipiat; hoc autem experientiae convenientissimum esse nemo negabit. Objicit insuper Musschenbroekius, si glacies a solo frigore pendet, cur igitur glacies in memorata mixtura aucto frigore refunditur in liquorem? Verum ipse quidem Musschenbroekius rite scivit particulas salis ejus esse naturae, ut glaciei partes disjungant, separent, totamque massam denique dissolvant, nec non ante congelationem aquis admixtae, congelationem multum impediant, ita ut nonnunquam, si frigus demum invaluit, sal ab aqua secedere cogatur; quod in aqua marina Belgii littora adluente fere

fere singulis annis observare licet. Neque etiam ratio adeo est obscura; aquam enim multarum rerum spongiam esse, & partium quoque salinarum, notum est; quid vero juvat ad mutuum aquearum partium contactum, vel accessionem, si ignis quidem particulae fugantur & expelluntur, earum vero locus ab aliis statim ut salinis obsidetur? Eadem ferme ratio est, ac si adipi vel cerae liquefactae admisceatur aqua, & haecce mixtura in loco deponatur frigido, modo ad constringendam aquam non sufficiat; adeps tamen vel cera, prohibentibus aquae particulis nunquam in solidum concrescit. Sed eodem ferme jure ab altera parte ex Musschenbroekio quaeri posset, cur particulae conglaciantes, quae non nisi frigidam aquam intrare amant & libentius frigidissimam, hoc tamen in casu exeant e frigidore & in calidorem intrent?

Cetera, quae pro partibus illis conglaciantibus inferuntur argumenta, vel saltem quae inferri scio, minoris momenti sunt, & plerumque incertis admodum conjecturis fundata. Sic a nonnullis argumentum pro partium illarum existentia ex glaciei elasticitate petitur: sed si ad quantitatem earum partium, posita existentia, quae in glacie adesse deberent, advertimus animum, quis non sentit illud satis esse frivolum? nisi ponamus illas prorsus omni gravitate carere, quod a paucis concederetur; & hoc quoque

D

con-

26 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

concesso, si voluminis, quod ab illis constituitur, habeatur ratio, nemo tamen credo sibi persuadebit hasce particulas sufficere ad tantam glaciei elasticitatem procurandam, quae ceteroquin omnino non foret elastica.

Alio autem satis quidem speciosò argumento ansam praebuit perspicacissimus, & nuper mihi in academico cursu amicus & commilito Rossyn, hodie in Academia Harderovicensi Philolosophiae Professor celeberrimus, qui ingeniosissime sane conjectit in particulis hisce glacialibus rationem esse quaerendam, qua aqua in glaciem conversa electricitatem neutram transmittere possit: nec non eas quoque particulas, magna copia hyeme per aera dispersas, communicacionem electricitatis in nubibus impedire (*a*). Duplex autem ut videtur contra hanc conjecturam fere offert difficultas: prima haec est, quod hyeme nunquam vel rarissime saltem tonitru fulminisque observentur phaenomena, licet tamen nulla in aere adpareant partium glacialium vestigia; altera vero & quidem maxima in eo consistit, quod ex hac opinione in primo casu statuendum esset omnes aquae particulas glacialibus hisce particulis adeo involutas esse, ut nullus omnino in tota glaciei massa contiguus partium aquea-

(*a*) Dissert. philos. inaug. de Ton. & fulmine pag. 30.

rum contactus supersit: veritas enim omni exceptione major est, quod, si per totam massam electricam unicum modo filum anelectricum transmittatur, omnis statim electrica materia per illud aufugiat. Ex hac autem sententia, ni fallor, eodem fere jure concludi posset, in oleo concreto particulis illis glacialibus simile quid praestari respectu lucis, quod in aqua vel glacie respectu electricitatis, quod autem dubito num quis facile largiretur.

Quae autem hactenus contra Cel. Musschenbroekii, aliorumque eruditorum sententias adtuli, pacem tanti viri, doctorumque ejus sectatorum salva sententia, dicta sint; nequaquam vero ejusmodi quid ausus essem, nisi nullum mihi verum Philosophum a praejudiciis abhorrentem illud vitio versurum pleno animo confiderem.

Jam vero de alia videamus sententia, quaeque in ea sece obferunt, difficultatibus. Diximus jam in precedentibus hujus sententiae patronos non nisi negativam hujus congelationis phaenomeni caussam admittere, nimirum ignis defectum; indicavimus etiam qua ratione pleraque quae ex altera explicantur sententia ex hac quoque enodari possint. Quod autem ad glaciei illud intumescendae phaenomenon adtinet, licet hactenus non videam, quomodo ex alia sententia rite demonstrari posset, ex hac tamen, primo saltem intuitu, explicatu maxime videtur difficile; hinc

29 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

quoque alii hujus sententiae fautores aliter sentiunt, aliasque sibi formant hypotheses. Nonnulli quidem caussam congelationis in frigore quaerunt, sed tamen particulas salinas tanquam caussam, uti vocant, sociam auxiliarem admittunt (a), adeo ut particulas illas fluidorum poros obstruere, atque ita omnes igni meatus occludere, ejusque motum prohibere putent: sed quid tali hypothesi opus sit minime video, praesertim cum ipsi hi eruditii caussam inflationis glaciei hue non referant (b), quae tamen unica videtur caussa, cur ad ejusmodi particulas recurrere alii se se coactos putarunt. Alii vero, & quidem plurimi, nihil tale in auxilium vocant, sed ad solam aeris in aqua latentis actionem provocant, & ex ea totam, saeviente frigore, glaciei inflationem deducere adnituntur, licet tamen, ut jam alio loco diximus, neutiquam negari debeat in aere salinas saepe, aliasque particulas heterogeneas versari, quae quoque ad aeris refrigerationem multum forte contribuunt.

Dicamus itaque paucis quomodo Wolfius (c), Nolletus (d), aliique, qui hanc materiam tractarunt,

(a) Videantur Godvrygtige en Proevkundige beschouwingen van de wetten en werken der Natuur Amst. 1760. II Deel §. 49.

(b) Op. cit. II. D. §. 57.

(c) Nuttiche Versuchen 2. Theil §. 86.

(d) Natuurkundige lessen IV, Deels V. stukje pag. 143.

runt, auctores optimi, rem illam concipient. Aqua, quod antea notatum, in statu suo naturali notabili semper ignis aerisque copia repleta est; aer autem in aqua latitans secundum observationes a Physicis, praecipue vero a Mariotto, institutas, septies fere densior est aere naturali, quod satis sane paradoxum videretur, & difficulter concipi posset, nisi ratio haberetur prostratae aeris in hoc casu elasticitatis: cum enim ex communī Physicorum opinione in eo consistat aeris elasticitas, quod singulae ejus particulae ad certam quandam distanciam sese mutuo repellant, licet in alias diversae naturae particulas, haud secus ac magnes, nullam omnino vim exerceant, facile quoque liquet aeris particulas in aquarum interstitiis latentes, ab invicem separatas, aqueisque particulis interceptas, quatenus in eo statu versantur elasticas non esse: unde & evidentissime quoque patet, cur aer ab aqua non nisi difficulter, & nunquam fere penitus separari possit. Ignis autem increscente jam aeris ambientis frigore, aequilibrium adfectans aquam pedetentim relinquit, usque dum aqueae particulae proprius ad se invicem accedentes sese mutuo adtrahant, & in unum cogantur; quod tamen fieri nequit, nisi aeris particulae propellantur, quae jam ex latebris suis undiquaque fugatae, aliae aliis occurrent, inter se coeunt, congregantur, congregatae

30 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

tae vero naturalem suam elasticitatem exerunt, distenduntur, bullulas formant, & in majus volumen tumescunt, dein data copia enatant & aufugunt; verum in superioribus vidimus glaciem ita formari, ut certa quaedam aquae quantitas, ante quam in glaciem vertatur, continuo fibris primum & lamellis glacialibus intercipiatur, & a reliquis secludatur, unde sequitur nullum saepe bullulis hisce aereis patere transitum; aer interim magis magisque propellitur; unde plures maioresque oriuntur & evadunt bullulae, quae notabilem tandem adipiscuntur vim elasticam. Quid denuo superest? Sane nihil, nisi ut tota massa glacialis distendatur & infletur, adeo ut licet etiam aqueae particulae in minus volumen, ut ex analogia fieri debet, contractae fuerint, tota tamen massa increverit. Haec equidem sententia, si nullis esset obnoxia difficultatibus, praे simplicitate sua ceteris omnibus facile palmam præteriperet; verum, & contra hanc etiam duae inferuntur difficultates, quibus rite respondendum est, ante quam in hac tuto adquiescere prudentis sit Philosophi. Prima objectio haec est: Sublata caussa tollitur effectus; jam vero observavit Cel. Muschenbroekius incrementum illud glaciei voluminis aequo locum habere in aqua ab aere purgata, quam in aqua communi; attamen minori gradu; invenit enim in hoc casu gravitatem
gla.

glaciei specificam ad illam aquae ut 21 ad 22 (a), quae in altero casu ut 8 ad 9 reperta fuerat. Hinc autem certo certius elicetur aerem saltem multum conferre, & si fides habeatur Hombergio (b), & Renaldino (c), aliisque, glacies, quae ex aqua ab omni penitus aere purgata concrevit, ipsa aqua specifice gravior erit, vel saltem ejusdem gravitatis specificae. Verum Musschenbroekius e-jusmodi quid data opera numquam praestare potuit, licet alii rursus post Hombergium feliciori successu non ita longe abfuerint, inter quos in primis numerari debent Wolfius (d) & Abbas Nolletus (e), qui creberimis institutis experimentis glaciem revera ferme ad eandem cum aqua gravitatem perduxerunt specificam, nunquam vero gravorem reddiderunt; ast hi etiam viri uno quasi ore fatentur, aquam ab omni prorsus aere liberarem esse adeo difficilem, ut eo nunquam ex voto pervenire potuerint; cui procul dubio causæ tribendum est quod Hombergium insequì minus successerit. Haec quidem uberrime demonstrant quantuu ab aere

in

(a) Introd. ad Phil. Nat. §. 1498.

(b) Memoires de l'Acad. des Scienc. 1695.

(c) Journal de Venise 1671.

(d) Mögliche Versüchen 2. Theil. §. 119.

(e) Natuurkundige lessen vierde Deels eerste Stukje pag. 150.

32 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

in hoc negotio praestetur. Altera quae objicitur difficultas sita est in immenso glaciei inpetu quo findendis arboribus, lapidibus, rumpendis vasis metallicis, similibusque par est. Hoc enim a sola aeris elasticitate proficiisci posse negant, & fortasse recte: quis enim nisi praejudiciis obcoecatus, vel aliunde prorsus convictus, aeri tantam elasticitatis vim in glacie facile tribuere audebit, quippe qui alioquin in vasis cupreis, vitreis, aliisque fragilioribus absque ullo periculo multo magis condensari queat? Hisce observatis & rite perpensis ad alia confugere sese coactos credidere Nolletus & alii. Solidiorem igitur hujus rei rationem reddere Doctissimus Abbas adnitus est ex communi omnium corporum induratione (*a*), cuius autem mens mihi in hoc ratiocinio satis explorata non est. Aliam rursus viam ingressus est Cel. Winkleius Prof. Lipsiensis, qui Musschenbroekii forte conjecturis adductus primum de aquearum particulatum divisione in alias minores cogitavit (*b*); dein vero in aliam conjecturam incidit, aquas scilicet particulas ope frigoris in globulos concavos & elasticos converti (*c*). Sed quamcunque etiam ejusmodi conjecturae probabilitatis speciem p[ro]ae se fe-

(*a*) Lib. cit. pag. 173.(*b*) Instit. Philos. univ. P. I. §. 1350 & 1351.(*c*) Beginzelen der Natuurkunde §. 139.

ferant, nihil tamen certi determinant, nisi ex ipsa cognita natura corporum ducantur.

Hactenus pro instituto nostro diversis, quae circa hanc rem agitantur, quaestionibus celebrioribus propositis & discussis, transeamus, ante quam finem inponamus huicce nostrae qualicunque dissertatiunculae, adhuc ad unum aliquod phaenomenon in congelatione obvium, quod prae ceteris, ut opinor, Physicorum meretur attentionem, & hucusque a nobis silentio praetermissum: intueor nempe continuum partium glacialium motum, qui variis experimentis constitit, in primis vero evaporatione, & ponderis jactura, quam massa glacialis aeri exposita patitur, observantibus omnibus Physicis; nec non continua bulularum aërearum mutatione, qua ad se invicem accedunt, coeunt, tumescunt, aliasque variationes subeunt, quod absque partium glacialium motu fieri non potest. Si ad hocce phaenomenon, aeris ignis que, ut videtur, actioni maxime tribuendum, paullulum subsistamus, simulque cogitemus aquam secundum Florentinorum Philosophorum (*a*) experimenta nulla ratione, secundum Anglorum vero novissima, non nisi tantillum in minus volumen condensari posse, unde sequitur aquae particulas admodum esse duras, & figura minime mutabiles.

An

(*a*) Muffchenbr. Introd. ad Phil. Nat. §. 1445.

E

34 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

An exinde nihil pro glaciei inflatione deduci posset? Ponamus vas aliquod plenum globulis elasticis; ut globulorum illorum massa in minus spatium redigatur necesse est, globuli illi formam mutent, & in alia corpora, ut E. G. dodecaëdra, icosaëdra vel ejusmodi abeant: positis autem globulis omnino duris, vel prorsus non elasticis, atque adeo figuræ minimè mutabilis, sequitur etiam massam non fore compressibilem; ponatur jam globulos illos vi mutua validissime inter se adtrahi, non nullos vero eorum, qui forte adsunt heterogenei, vi quadam contraria repulsos protrusosque aufugere, hos autem in transitu, ut fieri debet, alias particulas, quamvis ceteroquin cum tota massa homogeneas avellere, disjungere, & vel omnino, vel per aliquod saltem spatium secum abripere. An non maxima hinc orietur inter particulas confusio? An non canales relinquuntur, & interstitia? Quae vero abruptae fuerint particulae, & avulsaे, sed prorsus non abruptae in aliud tantum delatae locum, illic rursus a vicinis adtrahuntur, adtractae inter eas intrant, penetrant, alias iterum repellunt novosque hiatus aperiunt: hoc autem motu & agitatione continua non nisi major porositas, sive minor massæ densitas, proinde & inflatio validissima oriri posse videtur. Cum autem haec ita ex hypothesi nostra fieri deberent, num ad aquae congelationem

ad-

adficari possint quisque videat, judicet. Aquae vero, ut & plerorumque fluidorum particulas globosas esse, a plerisque merito conjicitur; aquae varia admixta esse heterogenea certissimum est; aquae etiam ut & aeris in aquae contenti particulas durissimas esse admodum est probabile; aquae denique particulas ab igne divelli, & auferri, variis constitit, & evidenter observare licet, ubi stipes in media fossa vel stagno positus, & a glacie undique inclusus est; stipes enim ignis valde tenax, cum aqua jam in glaciem versa est, eum magna copia emittit, quo glacies ad notabilem a stipite distantiam liquefecit, & evanescit; adeo ut stipes tanquam in foramine conico videatur inmissus, & tempestate paulo mitiore a glacie penitus liberetur: quo etiam referri debet, ut illud in transitu obseruem, quod ligna, lapides, & similia glaciei inposita in ea magis magisque videantur deprimi & inmergi, unde nonnulli male concluderunt glaciem a superiore parte increscere; ceterum in tota congelatione nihil est, quod Physicis tantum negotii facessit, quam violentissima massae glacialis inflatio; quo vero cum in petu aqua in lignis, fabis, pisis, aliisque penetret, eaque distendat aliunde notum est; quid vero respectu glaciei jam formatae, & particularum aquearum hactenus fluidarum, vel a glaciei massa divulsarum, locum

36 DISSERT. PHILOS. INAUGURALIS.

habeat , meum pro certo determinare non est. Hie igitur , licet adhuc plurima possent addi , gradum si-
sto , dum interim nihil magis in votis habeam , quam
quod ea , quae nos hactenus in divinis naturae ope-
ribus , legibusque latent , sensim & a nobis & a po-
steris detegantur in Gloriam Creatoris , & humani
generis perfectionem.

T A N T U M



2



